



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibus Cœram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

VI. Suggestum ascensuro quid agendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721

das, atque commendas; retractas ea, & reuocas, quæ turpiter antea peccando commisisti, cum toties DEVM offendebas. Se itaque, suaque opera accuset, & damnet; ipse sibi præco sit, & carnifex. Quæ cum ita sint, quid, ò infelix cinis, si publice palinodiã canis, teq; retractas, superbis? si tuam ipse vitam condemnas, cur extolleris? Triduo ante concionem studiũ sit obsequi tribus Trinitatis personis: primo die DEO Patri memoriam commenda, postero die Filio intellectum, tertio die Spiritui sancto offer voluntatem. Si quid forte memoria excidet. Patrem cœlestem appella, si alicuius loci difficilis explanationem, vel arcanum aliquid sacrae Scripturae inuestigas, ad Filium confuge; cum te aridum, & sine deuotione comperies, roga Spiritum sanctũ, vt sui amoris ignem in corde tuo accendat: vt sic omnes animæ potentia instrumenti loco sint DEO acceptæ, quo illis bene ad illius laudem, & gloriam vtaris.

CAPVT VI.

SVGGESTVM ASCENSVRV quid agendum?

CONCENSVRVS ad dicendum animi puritatem in primis curet, & puræ conscientia examē adhibeat, tanquam mox habitabit

bita concione, rationem reddere debeat animæ, & sistere se ante tribunal, iudiciumque iusti DEI. Qua de causa in mentem illi veniat, Filium DEI IESVM CHRISTVM suggestū, & cathedram Crucis conscendisse, vt mortē ibi oppeteret. Apostolum item sanctum Andream ex Cruce concionatum, eamque miris antea laudibus extulisse, in eaque exspirasse. Sic qui nunc verus est CHRISTI crucifixi Concionator, ita in suggestu stare debet, vt preparatus sit, cruciatus proferre, imo & mortem oppetere, in testimonium, & defensionē verbi DEI, quod concionatur, & Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, matris nostræ, & magistræ.

Cogitet etiam Ecclesiastes, se esse instar machinæ, seu bombardæ bellicæ, qua, tanquã ariete, muros superbos Babiloniæ quatere vult DEVS, atque prosternere: se vero similem esse pulveri tormentario, & fictilem, & æris instar grauem, frigidum: pulverem se esse nigrum, sordidum, fœtidum, & ad inquinandum alios aptum quos tetigerit, qui pulvis, vt finem consequatur suum, ignem illi applicare necesse est sancti Spiritus qui illum incendat, vt olim. Pentecostes die, corda Apostolorum ignitis linguis inflammavit. Quo dono vt potiaris, & luce, & igne humiliter, & cum fiducia recites Hymnum.

*Veni creator Spiritus,
Mentes tuorum visita;*

Zz 4

Im.

*Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora. &c.*

CAPVT VII.
CONCIONATORIS OFFICI-
um in suggestu.

IN suggestu non turbetur animo, neque sibi displiceat, si perpaucos ad concionem confluxisse viderit: quin potius mirari oportet, existere vnum aliquem, qui illum audire patienter non recuset. Consideret, tametsi pauci ad audiendum venerint, nihil meriti sibi detractum iri: imo tantum addet lucri, quantum adimit, ne inanis gloriæ vitio tangatur. CHRISTVM itaque magistrum summum, præsentem habeat, Concionatorem cœlestem, qui paucis sæpe discipulis, & vni mulierculæ infimæ conditionis prædicare non erubuit, summo etiam labore, & lassitudine longæ viæ.

*Ioan. 4. &
8.*

Paratus sit etiam filere, dato iam à comite silentij signo, tametsi vix dimidium dixerit eius quod attulit, præstat enim per obediētiam filere, quam sine illa diserte loqui. Erit tamen prudentiæ ita sermonem temperare, vt vna hora absolui concio queat; neq; enim extendi vltcrius debet: nec proficit auditor, imo tædio afficitur, nauseamque concipit etiam de auditis, si horam Concionator excedat.

Gestus, motusque corporis, personæ & decoro